



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

§. 11. De Clausula Primæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

quatuor temporum Pentecostes dicuntur, quia hæc omnia vel non sunt Simplicita, vel intra tempus Paschale celebrantur.

III. Qui solus recitat Officium, semel tantum dicit *Confiteor*, omittis illis verbis: *Tibi Pater, & vobis Fratres*, quod ipsum etiam aliqui observant, quando duo privatim recitant Officium. Quando verò dicit *Misereatur*, aut *Indulgentiam*, dicere debet *nostri, & nostrorum, non mei, & meorum*, etiam si solus recitet Officium.

IV. Tempore Paschali non additur Versibus Alleluia.

V. Dicuntur in Choro flexis genibus, quod etiam, si privatim recitantur, rectè, si fieri potest, observatur.

### §. IX.

*De Oratione, & reliquis usque ad Lectionem brevem.*

I. **P**ost preces absolutas, aut si hæ dicendæ non sint, post Versum Responsorij brevis dicitur *Dominus vobiscum* cum Oratione, quæ nunquam mutatur, aut omittitur (excepto Triduo ultimo ante Pascha) sicut nec cætera, quæ orationem illam sequuntur usque ad Lectionem brevem.

II. Ad Versum *Preiosa*, non additur *Alleluia*, etiam tempore Paschali.

III. Quando dicitur ter *DEVS in adiutorium*, non formatur signum Crucis, ut notat Gavantus *sect. 4. c. 3. n. 9.*

### §. X.

*De Lectione brevi.*

I. **H**æc Lectio semper dicitur, excepto triduo ante Pascha.

II. In Dominicis, Feriis, & Vigiliis, quæ sub ritu simplici in Prima celebrantur, sumitur ex Psalterio, nisi alia præscribatur in Officio de Tempore. In Festis pro Lectione brevi dicitur Capitulum Nonæ ex Proprio vel Communi Sanctorum, vel Proprio de Tempore.

III. In fine semper dicitur, *Tu autem Domine, miserere nobis.* & subjungitur *DEO gratias.*

### §. XI.

*De Clausula Primæ.*

I. Post

- I. **P**ost Lectionem brevem dicitur *Adiutorium* cum reliquis Versiculis usque ad finem.
- II. Si nulla alia Hora sequatur, & non continuata sit Prima cum Laudibus, subjungitur Oratio Dominica.

TITULUS IV.

DE TERTIA, SEXTA, ET NONA.

§. I.

*De Initio.*

- I. **A**d initium harum Horarum semper dicitur *Pater & Ave*. Versiculus *DEVS in Adiutorium* semper dicitur, excepto triduo ante Pascha.

§. II.

*De Hymnis.*

- I. **O**mittuntur isti Hymni nunquam, nisi in Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae usque ad Dominicam in Albis exclusivè.
- II. Nunquam etiam variantur, excepta Octava Pentecostes, ubi loco Hymni *Nunc Sancte* dicitur in Tertia Hymnus *Veni Creator Spiritus*.
- III. Stropha ultima variatur pro temporis varietate, uti in aliis Hymnis.

§. III.

*De Antiphonis.*

- I. **I**n Dominicis, Feriis & simplicibus Vigiliis sumuntur sex Psalterio; in Festis verò ex Laudibus de communi Sanctorum, nisi pro utrisque propriae in Proprio Sanctorum, aut de Tempore assignentur. Sumuntur autem hoc Ordine, ut secunda Antiphona Tertiae Horae, Tertia Sextae, & Quinta Nonae serviat.
- II. Nunquam omittuntur, nisi in Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae. In Octava Paschatis verò Antiphona *Hec dies* in omnibus Horis loco Antiphonarum aliarum sola dicitur in fine Psalmorum.
- III. Ab initio semper inchoantur tantum, in fine verò